



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De veneratione huius Sacrame[n]ti, cap. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

Suermeris, qui hoc idem dicunt? Nonne & multò peior est illis omnibus, dum falso vnam essentiam dicit, alteram esse? nempe panem naturalem, in forno pistum, esse corpus Christi, quod neque Ecclesia, neque scriptura (vbi enim scriptum est, Hic panis est corpus meum?) Neque hæreticorum aut Suermerorum quispiam dicit, sed hanc eius impiam nouitatem & stultitiam reprobauit ante VII. annos, in integro libro in Apologia Eucharistiæ contra Captiuitatem Babyloniam.

## De veneratione huius Sacramenti.

## CAP. XX.

## VISITATOR.

PRIMUM igitur debent Parochi docere populum, quàm grande sit peccatum hoc sacramentum in honorare, eoque non rectè uti. Ait enim Paulus j. Cor. xj. Rei sunt corporis & sanguinis Christi, & sumunt sibi in iudicium. Item, multi propterea sunt infirmi, multi mortui: Nam & deus ait Exo. xx. Qui nomen domini in honorauerit, non habebitur insons. Proculdubio & ea non manebit inulta in honoratio, quæ corpori & sanguini domini fit.

DOCT. Omni certe studio ac vigilantia magnificanda sunt & honoranda sancta sacramenta, maxime sacramentum altaris, in quo sacerdos dat populo sacrum corpus Christi.

In lib. V. visit.

In Sermonè de preparatione ad mortem.

DE VENERATIONE

*In sermo. de Eucharisti.* sti quod signum est & promissio cōmunionis omnium Angelorum & sanctorum. M A R. Sic & ego docui iam olim, hoc sanctū sacrum nihil aliud esse, quàm signum diuinum, in quo promittitur, datur, & appropriatur Christus, omnes sancti quoque, cum omnibus suis operibus, passionibus, meritis, gratiis & bonis, ad solatium & confortationē omnibus, qui in angustiis sunt & tribulationibus, qui persecutionem patiuntur à diabolo, à peccatis, à mundo, à carne, & omni malo. Et sacramentum suscipere, nihil aliud esse, quàm ista omnia desiderare, ac credere firmiter, totum ita fieri.

*Vbi supra in sermone de preparatione ad mortem.* DOCT. Honor ergo est, vt credam, verum esse ac fieri mihi quicquid sacramenta significant, & quicquid in eis Deus dicit & indicat, vt dicam cum Maria Dei genitrice, firma fide, fiat mihi secundum verba & signa tua. Cū enim loquatur & designet ibi Deus per sacerdotem, non possit Deus in suis verbis & operibus magis inhonorari, quàm dubitare quempiam an verum sit: Nec magis honorari, quàm credere quod verum sit, & ei securè confidere. L V T E. Quo tempore sermonē de Eucharistia edebā, in vsu cōmuni herēbam, nihil de Papæ siue iure, siue iniuria sollicitus. At nunc prouocatus & exercitatus: imò per vim raptus in hanc arenam dabo liberè quæ sentio. Primū, cap. VI. Ioannis in totum est seponēdum, vt quod nec syllaba quidem de sacramento loquitur: Loquitur enim

*In Cap. Babilono. cap. de Eucharistia*

de manducatione spirituali, quæ fidei est & sola viuificat, Sacramentalis autem non viuificat, cum multi manducent indigne. M A R. Si sacramentalis non viuificat (vt ais) quomodo fructus eius est, rogo, communio & charitas Christi, ac omnium sanctorum & Angelorum, per quem corroboramur contra mortem & omne malum? S V E R M E R V S. Quando Christus ipse stabat primum, hoc sacramentum instituens, primamque Missam celebrabat, nullus erat vertex rasus, nulla casula, nullus cantus, nulla pompa, sed sola gratiarum actio Deo & vsus sacramenti. E C C L E. Nunc autem eo peruentum est, per aliquos cecos doctores, quod nullus Laicus audeat neque calicem, neque corporale tangere, & magna formatur conscientia de eo, si quis ex improviso tangat, adeo sanè, vt excorietur ei digitus, quo tetigerit: vbi tamen nullum est neque præceptum, neque prohibitio, vt existimem eos insanos. S V E R M E R. Si ergo recte volumus Missam & celebrare & intelligere, oportet nos omnia prætermittere quicquid oculi omnèque sensus huic negotio mōstrare & suggerere possunt: siue sit vestis, sonitus, cātus, siue ornatu, oratio, portare, tenere, ponere, aut quicquid ibi in Missa fieri potest, donec verba Christi prius capiamus ac bene cōsideremus, quibus Missam perfecit ac instituit. B A R R A B A S. At Papistæ inexpiabile flagitium

*Vbi supra  
in Sermonem  
de Eucharistia.*

*In Serm. de  
nouo Testamento.*

*In 500. ar.  
art. 261.*

*In sermo. de  
triplici Iu-  
stia.*

*Vbi supra  
in Sermone  
de nouo Testamento.*

*In lib. de  
abroganda  
Missâ.*

DE VENERATIONE

fecerunt, panem & vinum manu vel alia parte corporis quàm digitis illis oleatis aut lingua tetigisse: Cùm à palla, calice, pãno, denique à musca, mure, vermibus, stercore, tangi, nihil moueantur. Tale est & illud, quod ieiunium nature effinxerunt, vt si quis guttam aquæ vel imprudens glutuerit, eo die indignus sit communionem: ô furorem furore furiosorem.

*Vbi supra  
art. 394.  
In serm. feria 5. post  
Innocentii.*

E C C. Sic & presbyteri nostri, si quis corpus Christi attingat, circuncidunt ei digitos. Si quæ autem puella apud nudum presbyterum dormiat, conuiuet Papa per digitos. Si grauida fiat, pariâtq; filiû, id quoq; permittit, sed mappam & sacramentû attingere non permittit. Si verò presbyter eam supra & infra tangat, hoc fieri licet. Contra eiusmodi fatuas leges Papæ prædicauimus nos, & notum facimus, in ipsis nullum esse peccatum, neque peccare laicum, si calicem aut corpus Domini manibus contrectet. S V E R.

*Vbi supra  
in serm. de  
novo Testamento.*

Christus simplicissimè instituit Missam, vt pararet sibi populum acceptum, qui esset concorditer in charitate coniunctus, ne fieret occasio sectarum, & diuisionum: Vbi ergo sic celebratur Missa, ibi est verus cultus Dei, etiam si nullus alius adfit modus in cantu, in organis, in cymbalis, vestibibus, ornatibus, gestibus, &c. Quicquid enim horum est, adinuentio est ab hominibus excogitata. E C C L E. Quamuis ergo pro certo & indubitato teneam, quod discipuli corpus domini in cœna manibus attige-

*Vbi supra  
art. 397. &  
401.*

rint, & admittam, quod tu quoque absque peccato contingere possis: non tamen euincere aut obtinere possum, quod fieri ita oporteat. Si autem aliquis adeo petulans est, quod sacramentum omnino manibus contrectare velit, is faciat sibi illud domum deferri, & contrectet vsque ad facietatem, sed non coram multitudine. B A R R. Multo magis ædificat in piis, expendere & fide apprehendere verba Christi, hoc sacramentum instituentis, quàm occupari in honore externo Sacramenti. Quanquam ibi per Papistas omni sunt inuersa, qui cælarunt populum hæc verba, & ad pompam & cultum externum Sacramenti seduxerunt. Proin si poplite flexo aut nudato vertice veneraris sacramentum, & non idem aut etiam plus honoris exhibes verbis Sacramenti, saltem corde & affectu, tunc iam planissimè, inuerteris honorem debitum sacramento. Ex re igitur esset pietatis & necessarium, si consulere velis conscientiis, homines à sacramento reuocare ad verba, vt assuesceret, multo magis verba quàm ipsum sacramentum considerare.

*In serm. feria 5. post Inuocavit.*

*Ad Valdenses de Eucharistia.*

C O C L Æ V S.

*Rustici per Lutherum furentes occisi sunt, qui hoc sacramentum prophanis manibus contrectare ausi fuerunt, ad rotam aut ignem damnati sunt nonnulli, qui sacrilego ausu illud furati, Iudæis vendiderunt. Iudæi qui expe-*



DE VENERATIONE EVCHA.

riundi gratia illud impijs manibus tetigerunt  
 aut pupugerunt, exusti sunt aut deorsum verso  
 capite suspensi viui. At Lutherani præcepto-  
 res, qui hoc sacramentum omni denudant ho-  
 nore, Laicisque suis non solum in manus, sed  
 & in peras, velut rapum aut frustum panis,  
 tradunt, de sua impietate gloriantur etiam,  
 & laudari volunt. Nostri credo (Illust. Prin-  
 cept) quanta barbarie illuserint huic sancto  
 sanctorum nonnulli tuorum, quos ob reueren-  
 tiam tui non libet nominare. Si ergo vere cre-  
 dis, Deum tuum in hoc sacramento corporali-  
 ter, & substantialiter esse, cur, obsecro, pate-  
 ris eius honori ac venerationi tantum detrahi  
 per sacrilegos istos doctores? Cur populi tui fe-  
 stum corporis Christi non celebrant, vt alij  
 vicini, veneratione & ritu antiquo? Cur abo-  
 litæ sunt Missæ, de corpore Christi, & proces-  
 siones in quintis feriis? Nunquid nimium po-  
 tes honorare Deum verum? Si verò non credis  
 (quod absit) Deum tuum ibi esse, cur permittis  
 Lutherò, tot libris in Suermeros inuehi frustra?  
 Fac igitur, vt verbis facta respondeant, aut  
 nega ibi Deum, aut venerare more patrum  
 tuorum.